

## Caput I.

### DE DIALOGI ARGUMENTO.

Libelli ἔργων sub Luciani nomine nobis traditi partes sunt tres, quarum una continetur exordium (1—5), altera enarratio (6—52), tertia peroratio (53—54). Atque haec et illud dialogi indolem praebent; enarrationem ipsam partitus est auctor in exordium (6—18), enarrationem bipartitam (19—28; 29; 30—49), perorationem (50—52). Hac denique in enarratione opponuntur adversarii duo, patronus amoris muliebris et matrimonii, patronus amoris puerilis et amicitiae amatoriae, quorum uterque utitur et argumentatione et refutatione et exemplis. Habemus igitur ut fieri solet dialogum dialogo insertum.

Colloquitur feriis Herculis ὀξέος πρὸς τὴν Ἀφροδίτην<sup>1)</sup> Lycinus i. e. Lucianus cum Theomnesto (1—5). Ille hunc orat, ut ad animum suum recreandum pergat narrare fabulas Milesias<sup>2)</sup> (1) quas quidem ipse expertus sit. Theomnestus tamen has sescentas esse neque semper fortuna adiutas fingens ei morem gerere non vult (2). Contra ipse Lycinum, qui frustra atque iterum eum rogaverat (3), quid sentiat de amore puerili quid de muliebri, ut iudicium faciat precatur, cum se ipsum ambobus vexari fateatur<sup>3)</sup> (4). Ex tempore quidem de re difficiliore dicere se non ausurum respondet<sup>4)</sup>, sed quae nuperrime compererit se relaturum pollicetur (5).

<sup>1)</sup> Qualis inde ab aevo Alexandrino vulgabatur; cf. Furtwängler, Sammlung Sabouroff II. tab. CXLI; Antike Gemmen III 280.

<sup>2)</sup> Cf. Theodor. Prisc. log. 11 p. 133, 9 sq. Rose.

<sup>3)</sup> Ad hunc locum v. F. Wilhelm, Rhein. Mus. 1902 LVII 62 sq. et fabulae Metiochi et Parthenopes vers. 26 sq. ed. Kaibel et Robert, Herm. 1895 XXX 150.

<sup>4)</sup> Keilio auctore atque adiutore loco corrupto medelam allaturum me esse spero. Dant codices omnes quos in hunc dialogum eden-

Itaque ad enarrationem perveniamus. Lycinus profectus Antiochia<sup>1)</sup> ad Italiam adeundam in insulam Rhodum venit, ubi Charicles<sup>2)</sup> Corinthius et Callicratidas<sup>3)</sup> Atheniensis ei obviam ibant (6—8), ille muliebri, hic puerili

dum contulit Sommerbrodt (Ω, Α, Γ) haec: 'Εγὼ γοῦν ἐξ ὑπογύου τῆς ἐπιχειρήσεως ἠψάμην, εἰδὼς ὅτι λίαν ἄλλ' οὐ παλαιὰς κτλ. Quae sensum non praeberet perspicuum videtur. Jacobitz scripsit εἰδὼς ὅτι λίαν σπουδαία id quod in textum recepit Sommerbrodt cruce illa affixa; ipse coniecit haec (p. 162): 'Εγὼ γοῦν τῆς ἐπιχειρ. ἡψ. οὐκ ἐκ παλαιοῦ ἄλλ' ἐξ ὑπογύου, εἰδὼς ὅτι λίαν σπουδ. ἐξ., ὅτου. . . . ἔχω ita interpretatus: *'Ego ad rem accessi non olim (ἐκ παλαιοῦ) sed nuper (ἐξ ὑπογύου) gravissimam eam esse edoctus ex quo tempore duos viros quos adhuc memoria teneo, fortiter disputantes audivi'*. Haec quidem ideo ferri non possunt, quod locutio ἐξ ὑπογ. non recte intellecta videtur; noster enim imitatus est hunc Platonis (conv. 185c) locum: 'Ταῦτά σοι', ἔφη (scil. Pausanias), 'ὡς ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ὦ Φαῖδρε, περὶ Ἐρωτος συμβῆλλομαι' (cf. etiam auctorem περὶ ὕψους 18 p. 42, 20sq. Vahlen<sup>3)</sup>). Atque ipse vir doctus affert ex nostro libello (50 p. 456) haec: Οὐκ ἐξ ὑπογύου, φημί, καὶ παρημελημένως ὕμιν, ὦ ἑταῖροι, τὰ τῶν λόγων ἔοικεν ἀπεχεδιδάσθαι, διηγεοῦς δὲ καὶ νῆ Δι' ἔρρωμένης φροντίδος ἐναργῆ ταῦτ' ἔστιν ἴχνη. Nihil aliud igitur significare ἐξ ὑπογύου nisi 'ex tempore' vel 'illico' luce clarius sequitur. Hoc autem loco noster sanandus est. Lycinum enim dicere se ipsum de re difficillima ex tempore disputare nolle facile intellegitur. Itaque Keil negationem desiderari in verbis traditis monuit. Neque . . . οὐχ ἠψάμην rectum esse potest, sed ex enuntiatu sententia modo statuta flagitatur οὐκ ἂν ἠψάμην. In παλαιὰς quoque rectum aliquid latere nemo est quin videat, siquidem respondet διηγεοῦς vel ἔρρωμένης. Porro verba ἄλλ' οὐ continere corruptum atque transpositum illud οὐκ ἂν certum esse crediderim. Substantivum igitur requiritur loco vocabulorum ἄλλ' οὐ; hoc fuisse φροντίδος vel, si quis rationem palaeographicam respiciendam esse censet, μελέτης verisimile videtur; ἔστιν facile subauditur et παλαιὰς transponendum est post λίαν. Nonnullis igitur emendationibus in textu non mediocriter corrupto admissis haec legerim: 'Εγὼ γοῦν ἐξ ὑπογύου τῆς ἐπιχειρήσεως οὐκ ἂν ἠψάμην εἰδὼς ὅτι λίαν παλαιὰς μελέτης (vel φροντίδος), ἐξ ὅτου . . . ἔχω.

<sup>1)</sup> Ipsum nomen nobis non dicit, sed eius itinerarii ratione habita verisimillimum est illam urbem spectari.

<sup>2)</sup> Quid sentiant de amore, homines videntur indicare nominibus; nam hospes Corinthius stat a partibus χάριτος feminarum (cf. Plut. amat. 5, 751 d), Atheniensis defendit puerorum κἄλλος; quod huic nomen est Καλλικρατίδας non — δης, simodo libris fides habenda est, παιδεραστίας originem Doricam forsitan significaverit auctor.

amori deditus (9—10). Qui cum ipsi quoque in Italiam navigare vellent, simul iter facere Cnidumque navem appellere placuit ad Praxitelis Venerem contemplandam. Iam fit ἔκφρασις illa notissima τοῦ ἐν Κνίδωι τεμένους καὶ τοῦ ἀγάλματος τῆς Ἀφροδίτης<sup>1)</sup> (11—14). In simulacro perspiciendo memoratur adolescens ille, qui amore insano commotus statuæ συνουσίας causa appropinquasse fertur (15—16). Quam ob rem de amoribus quaestio oritur, cum illum παιδικῶς προσομιλῆσαι deae signo credat Callicratidas (17). Disputatio habetur in deversorio amoenissimo<sup>2)</sup> (18); atque haec fere ab utroque explicantur<sup>3)</sup>.

Transeamus nunc ad rem ipsam. Charicles, matrimonii patronus, totius naturae fundamenta illo contineri explanat; id ab initio fuisse (19). Tum cultu humano atque civili propagato et voluptatibus inductis amorem puerorum exstitisse (20—21); hunc autem esse alienum a natura bestiarum exemplis probari (22). Quod παίδων ἔρωτα non συνουσίας sed φιλίας esse prae se ferant, Socraticos impudenter mentiri, cum amorem puerorum eorum, qui corporis flore excellent, solum κοφόν esse nemo animo comprehendat; immo φιλονέους illos esse non φιλοσόφους (23—24). Atque plus voluptatis, quam normam statuunt Callicratidae sodales, praebere muliebrem quam puerilem amorem, cum hoc brevi illo diu liceat frui (25—27). Verum si amore inter se coniungantur viri, idem experiantur feminae (28)! — Postquam Lycinus pauca interiecit, nempe ut adversariorum vires reficiantur<sup>4)</sup> (29), Callicratidas respondere suamque defendere sententiam incipit. Primum quidem ad ea quae ultima proposuit Charicles spectans eum optimum feminarum de-

<sup>1)</sup> Cf. Schol. Lucian. p. 204, 12 sq. Rabe.

<sup>2)</sup> Exempla dabit Wilhelm, Rhein. Mus. 1902 LVII 64, 1.

<sup>3)</sup> Et medio (31 p. 432) et extremo (54 p. 458) dialogo Cnidi atque deae Cnidiae mentionem fieri iam nunc monuerim, ut hoc in argumento totum dialogum versari appareat.

<sup>4)</sup> Similiter atque Plato in Phaedone (84 c) silentio universo effecto dialogum quantum ad compositionem pertinet in duas partes divisit; cf. Windelband, Festschrift zur 46. Versamml. deutscher Phil. u. Schulm., Straßburg 1901, 287 sq.

fensorem praedicat (30); tum 'Phaedri' Platonici imaginem illam memoria recolens<sup>1)</sup> (31) ad amorem puerilem explicandum transit. Cupidinem enim ordinem hominum atque rerum statuisset (32) veramque ἀνθρωπίνην φύσιν detexisset: matrimonium illud quidem διαδοχῆς ἕνεκα necessarium esse, unum amorem puerorum respondere hominum menti philosophicae. Quo illos ex statu rudi atque incultu ad mores meliores atque emendatiores sensim perductos esse. Initio igitur fuisse matrimonium atque amorem vulgarem, postea evasisse παιδεραιαίαν atque amorem caelestem; duplicem enim esse ἔρωτος naturam (33—36). Loco illo trito et pertractato (37) feminarum victui immodico (38—42) opponit vivendi condicionem puerorum eximiam (43—45). Ergo talem adolescentem admandum esse, ut vera βίου κοινωνία fiat (46); huius amoris exemplis utitur aetatis heroicae amicitias (47). Neque eum amorem habendum esse ἔξην τροφήν, sed ἐκ διαδοχῆς a dis ad homines pervenisse. Additis de Socrate τόπωι (48) et convivii Platonici doctrina illa immortalitatis finem facit dicendi Callicratidas (49).

Lycinus arbitri munere fungens primum ut dicunt λόγους ποιῆται (50), tum Callicratidae, et Athenis Graeciae urbe celeberrima orto et qui amorem sapiente dignum professus sit, assentitur (51—52).

Ad dialogi finem veniamus. Quaerit enim Lycinus ex Theomnesto, quid si ipsius loco fuisset censurus fuerit. Hic quae exposuit Charicles (23—24) quodammodo confirmat. Neque solum φιλίαν appetit, sed vel maxime παιδῶν συνουσίαν. Mentiri enim eos qui illud tantum concedant; contra turpissimo amore tales frui verum dicere se atque iurare. Lycinus sententiam suam refutatam esse intellegens ad sacra Herculeae amici memoriam revocat, ut sermoni finem imponat (53—54).

<sup>1)</sup> Plat. Phaedr. 230d; cf. Plut. amat. I, 749a; ceterum huic πλατανίτῳ quodam modo respondet Ciceronis (de leg. I 1) 'Mariana quercus'.